

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Menippus sive dialogorum satyricorum centuria
inanitatum nostratum speculum**

Andreä, Johann Valentin

Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618

8. Salarivm

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

re. *A.* Vera dicis fateor. *B.* Sed & hæverissima credito, unam simplicem concionem vitâ representatam, præstare mille ingeniosissimis declamationibus.

8. SALARIUM.

A. Potesne ferre unam quæstionem? *B.* Etiam duas. *A.* Dic mihi sine bile, quid est, quod in conventibus vestris nemo exaudit Christiani regni profectus, & pietatis exercitia, sed varia mercimoniorum genera, quibus salaria vestra æstimatis, & confertis invicem. hic vini ille fœni, hic lignorum ille olerum, pecoris alius. alius obsoniorum oportunitatem iactat, ut nundinatores vos, aut caupones, vel usurarios sanè credat, qui vestitum non bene diiudicat. *B.* Dicam ingenuè quod mihi videtur. Qui religioni præsumunt inter se & filios, terram, qua pinguis est, optione dividunt, indeque sibi velut per scalas ad rerum fastigia succedunt. Nos miselli ad lapidicinas damnatur, laboresque tantò duriores, quantò in consanguinitatis arbore ramusculis insidemus remotionibus, suscipimus: hinc ceti nec studia nostrà æstimari, nec querelas exaudiri, nec plebeculæ rationem haberi, ad ea desperabundi devolvimur, quæ domi nos mitius & lautius vivere faciant & prolem succrescentè ita nutriant, ne adorare illos, & inclemetiam experiri sit necesse. *A.* Quid si locus minus conveniat negotiationi cui inclinas? *B.* Commutandus est: nam & id precio licet. *A.* At fieri potest ut his oyibus minus sis gratus, quàm illis? *B.* Ne-

B. Nescis tu quosdam se obrudere quosdam invitis obrudi, alios intrudi, extrudi alios, ac interdum oves pastoribus, interdum pastores ovibus dari in pœnam. *A.* In pœnam? *B.* Omnino: sunt enim suppliciorum quædam loca, delinquentibus distribuenda. *A.* Etiam cognatis? *B.* Absit, nam hi privatim emendantur, illos rusticorum impietas coerceat. *A.* Quid si eiusdem sitis cû rusticis impietatis, haud enim heluaris quod arbitrator minus? *B.* quis non inter barbaros hos obrigescat. *A.* Atqui Christi Apostoli ferinos plane cicurârunt. *B.* Alia sunt tempora. *A.* At non alius Christus. *B.* Eruditio oppidis debetur: imperitia pagis. *A.* Si sanctitas vitæ adsit, valeat eruditio. *B.* Non ferunt hæc inculta loca. *A.* At dum Ecclesia vobis est inculta, puro neglectoribus omnibus destinatarum supremi supplicii locum.

9. PROVERBIA.

A. Id equidem haud laudo, quod nulla diei distributione in studiis volutaris. *B.* Ignosce mihi, nunquam potui ad clepsydram sapere. *A.* Atqui natura ipsa in certa tempora operas disponit. *B.* Sit sane alibi, studia animum integrum, non horologiis secandum volunt. *A.* Hoc vero studium haud est, legere proverbialusum ego dixerim. *B.* Ego vero humanæ sapientiae, & laborum omnium compendium æstimo. *A.* Vah! vulgi dicteria, & anicularum sententiarum sapientiae nomen habeant? *B.* Crede mihi, quæ tot laboribus, periculis, erroribus, inquisitionibus,